

Alia ratio redigendarum minutiarum ad minimos terminos.

Alio modo reducetur minutia proposita ad minimos terminos, si tam numerator, quàm denominator per communem aliquam eorum mensuram notã, etiam si maxima non sit, diuidatur, vt inueniatur minutia sub minoribus numeris: Et rursus huius inuentæ minutie tam numerator, quàm denominator, per aliam communem eorum mensuram diuidatur, & sic deinceps, donec minutia inueniatur, cuius numerator, & denominator sint numeri inter se primi. Vt proposita minutia hæc  $\frac{36}{8}$ . si vterque eius numerus diuidatur per 2. inuenietur hæc minutia  $\frac{18}{4}$ . cuius vterque numerus si diuidatur per 3. reperietur hæc minutia  $\frac{6}{2}$ . cuius tandem numeri diuisi per 2. offerent hanc minutiam  $\frac{3}{1}$ . sub minimis terminis: sed prior illa ratio præstantior est, ac breuior.

*REDUCTIO FRACTORVM NUMERORUM ad eandem denominationem, & ad integra, nec non integrorum ad fractionem quamcunque, ac denique fractionum factorum numerorum ad simplices fractiones.*

### CAPVT X.

**S**Aepentimero reducendæ sunt fractiones diuersorum denominatorum ad alias, quæ illis æquales sint, singulæ singulis, habeantq; eundem denominatorem. Quod qua ratione fieri debeat, hoc cap. exponemus, primum quidem, quando propositæ minutie non sunt plures, quàm duæ, deinde vero, quãdo